



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris  
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,  
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,  
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,  
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &  
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:  
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia  
illustrata: facundissimis ...

... Hic Tomus Quartus Allegoricis Expositionibus Et Qvæstionibus Vtrobique  
Salvberrimis Tractat

**Beda <Heiliger>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

In Libros Regum, quæstiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72011)

# BEDÆ PRESBYTERI IN LIBROS REGVM

Questionum XXX. Liber unus.

## P R Æ F A T I O.

Dilectissimo fratri Norhelmo Beda S.



Ua de libro Regum dilucidanda tibi, frater dilectissime, misisti, statim, prout potui, Domino iuvante explicare curavi, ea duntaxat distinctione, ut XXX. ex his propositiones, quæ graviores fortè videbantur, brevis distinctas capitulis, quo facilius possent inveniri, hoc tibi volumine comprehenderem. Cætera verò quæ commixtim annotasti nomina vel verba, quæ facilius ac brevius solvi poterant, in fœdulis teorum collecta, simul tuæ fraternitati transmitterem. Quamvis ipse noveram, plurima in eodem libro multo obscuriora, quàm ea esse quæ à me querenda iudicasti. Sed & hoc non ignorabam, sapius fieri solere, ut is qui obscuriora fortè nonnulla jam bene intellexerat, qui videlicet hæc in tractatibus magnorum authorum sufficienter explanata repererat, ipse adhuc in quibusdam facillioribus sensu incertus perseveret, ac dubius: quæ illi fortasse qui profundiora tractabant, qualitu digna non ducebant. Fit etiam, ut non omnia quæ à patribus scripta sunt, ab omnibus possint haberi, & ignorentur quæ rationes scripturarum à legentibus: non quòd doctoribus exposita non sint, sed quòd ipsæ earum quæstiones vel non habeantur, vel habere non intelligantur quærentibus: sicut in plurimis eorum, quorum à me responsa & petiti & accepti, constat esse factitatum. In quibus videlicet responsis, qui tuis petitionibus vestigia patrum sequens, satisfacere studui, precor ut vicem debitam nostræ devotioni reddens, pro sospitate nostra & cordis & corporis, una cum fratribus qui illis in locis vobiscum Domino deservierunt, intercedere memineris. Sed & si quid de his quæ scripti aptius fortè alicubi, quod facillimè contingere potuit, expositum invenieris, nobis quoque ocyus hoc destinate non graveris.

I. Et suscitabo tibi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciat, &c. Quod ait Propheta, ad Heli loquens ex persona Dei: Et suscitabo tibi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciat: & edificabo ei domum fidelem, & ambulabit cor am Christo meo cunctis diebus. Sub figura Samuelis de Domino Salvatore, summo videlicet ac vero Pontifice, debet intelligi, quòd nimirum sicut Samuel defuncto Heli successit in sacerdotium, non de stirpe Aaron, sed de alia Levi familia electus: sicut enim filius Eleana, filii Ierobam, filii Eliel, filii Thon, filii Saph, filii Eleana, filii Maath, filii Amasai, filii Eleana, filii Joel, filii Azaria, filii Sophonia: filii Thaaath, filii Ahr, filii Abiasaph, filii Core, filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel, ut verba dierum narrant: ita mediator Dei & Dominum, ut esset nobis Pontifex, non de Levi, sed de alia utique tribu, id est Juda, carnis originem sumpsit: aliam quàm legalem hostiam, id est ipsam suam carnem obtulit patri pro nobis: alios quàm de genere Aaron pontificatus sui reliquit hæredes, filios videlicet gratia novi Testamenti, de universa gentium natione collectos. Quod verò quasi humano more loquens Deus dicit, Qui iuxta cor meum & animam meam faciat: de Samuel quidem rectè potest accipi, quòd in omnibus eius voluntati sicut homo Deo paruerit: de Domino autem Salvatore, quòd sicut filius unigenitus patris, in omnibus conscientiarum, iuxta quod de se ipso manifestè testatur, dicens: Et à me ipso facio nihil, sed si ut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est: & non requirit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Cui domum fidelem ædificat pater, quæ domus sumus

nos, si fiduciam & gloriam spei usque in finem firmam retineamus. Et hæc domus ambulabit coram Christo ejus, ipse videlicet summo Pontifice, cunctis diebus: quòd nimirum usque ad finem seculi istorum agumentatione membrorum Ecclesia sancta proficere nunquam cessabit. Alioquin quo modo de Samuele potest accipi, quòd ædificata sit ei domus fidelis, quæ coram Christo Domini, id est ipso Samuele cunctis diebus incederet: cum legamus in sequentibus, quòd filii illius averfi de viis ejus post avaritiam declinaverint, & perverterint iudicium? Nisi fortè domum ejus hoc loco plebem Israeliticam intelligamus, quæ cunctis diebus sacerdoti ejus Domino servierit, de quo scriptum est: Et requievit omnis domus Israel post Dominum. Et paulò post: Abstulerunt ergo filii Israel Baalim & Ashtaroth, & servierunt Domino soli. Quod verò subditur: Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oret pro eo, & offerat nummum argentum, & tortam panis: & in præsentem tempore aliquantulum solet impleri, & in fine mundi perfectè complebitur. Nam etsi pauci, tamen aliqui quotidie ex Judæorum, non tantum plebeia, sed & sacerdoti stirpe ad Ecclesiam confugiunt: & cum intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel servus fiet. Quicumque autem ex his salvandus est, is etenim est qui remansurus esse dicitur in domo. Pereunte sacerdotio Heli, necesse est ad Ecclesiam offerat pro se sacerdoti Christiano nummum confessionis Deo devotæ, quæ in symbolo continetur: brevem quidem verbo, sed virtute præcipuam. Constat argento claritatem verbi cælestis, sicut fulgorem sapientiæ spiritualis auro sape designari. Offerat & panem sacrificii salutaris, abjectis carnibus legalium victimarum, dicatque: Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, id est, ad ipsam plebem Christo sacerdote præclaram, cui Petrus ait: Vos autem genu electum, regale sacerdotium. Quod autem addit: Vi comedam buccellam panis: etiam ipsam sacrificii genus eleganter expressit, de quo dixit sacerdos ipse: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quod enim dixerat superius, dedisse se cibos domui Aaron, de victimis veteris Testamenti, quæ fuerant sacrificia Judæorum: ideo hic dixit, postulandum ad comedendum buccellam panis, quod est in novo Testamento sacrificium Christianorum.

Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram, Quod dictum est de Samuele, postquam verba divini oraculi, quæ in noctu acceperat, manè Heli retulit, Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram: significat, quòd nihil ex his quæ locutus est, irritum fuit, sed omnia sunt rebus completa quæ dixit. Cadunt namque in terram verba supervacua, quæ pro nihilo habenda, & universorum sunt calcanda despectu, sicut & beatus Job dixit: Et lux vultus mei non adebatur in terram: quia nimirum in tanta gravitate vultum tenere consueverat, ut nunquam contemptibili leritia resolveretur: sed quotiescunque hilariorum se præsentibus exhiberet, certam semper ob causam utilitatis eorum faceret.

Et percussit de populo LXX. viros, & L. millia plebis. Quod dictum est de eis qui videre arcam Domini reverentiam de terra Philistinorum ausi sunt, cum non essent de stirpe Levitica: Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Populus & plebs pro una eademque re indifferenter accipitur. Nam & ex uno Græco quod ad laos, solet utrumque transferri. Sed in hoc videtur esse distantia, quòd in priore commate versiculi additum est viros. Nam quod tuus codex habet, septuaginta binos, omnino mendosum est: viros enim majores natu significat. ut sit sensus, quia de optimatibus populi septuaginta sunt percussi, de ipsa autem turba vulgati homines quinquaginta millia: quod ne pateretur in Exodo, populus à longe stabat, & orabat, solum Moyses ascendit ad Dominum.

Ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies: erat quippe iam annus vicestesimus, & requievit omnis domus Israel post Dominum. Quod dictum est, Quod ex qua die mansit arca in Cariathiarim, multiplicati sunt dies,

I. Reg. 7

I. Reg. 2.

Rom. 11.

I. Reg. 2.

I. Pet. 2.

I. Reg. 2

Ioan. 6.

II.

I. Reg. 3.

Iob. 29.

III.

I. Reg. 6

Exod. 20

IV.

I. Reg. 7



erat quippe iam annus viceſimus, & requievit omnis domus Iſrael poſt Dominum: non ita intelligendum eſt, quali viginti anni, quibus arca maneret in Cariathiarim, ad octavum vique annum regni David, quando eam congregata populi frequentia in Hieruſalem adduxit, ſint computandi. Invenitur namque in ſequentibus, quòd temporibus Saulis fuerit ablata de hac civitate, & allata in caſtra, pugnante eo adverſum Philſteos. Sic etenim ſcriptum eſt: *Et ait Saul ad Achiam, Applicam arcam Domini, erat enim mihi arca Dei in die illa cum ſiſis Iſrael.* Et quia conſtat, quòd David eam in Hieruſalem adduxerit, tulitque eam de domo Abinadab, in quam illatam eſſe perhibetur: reſtat intelligi, quòd in diebus Saulis relata de caſtris, & in præſatam ſit illata civitatem, unde denuò regnante David, efferretur in Hieruſalem. Eſt ergo ſenſus memoratæ ſententiæ, quia ex quo manſit arca in Cariathiarim, erat annus viceſimus, cum eam inde transferri temporibus Saul cauſa belli contingeret. Vel certè viceſimus erat annus, cum adhuc omnis domus Iſrael requievit poſt Dominum, abjeſtis videlicet idolis illi ſoli ſerviens. Quod eam feciſſe toto tempore præſulatus Samuelis, qui Joſepho teſte duodecim annis completus eſt: & primo tempore regni Saul, quod equidem hiſtoria affirmante viginti annis tenuit, nullus ſanctæ hiſtoriæ curioſus ignorat. Namque poſtmodum cum receſſiſſet à Saule ſpiritus Domini, & agitarer eum ſpiritus nequam, maximè ad perſequendum David innoxium & iuſtum, necèſſe erat partem militiæ vel plebis ejus, nonnullæ militiæ illius exitiſſe complicem.

Lib. An-  
viquita.  
6. c. 13.

V.  
1. Reg. 20

*Si vixero, facies mihi miſericordiam Domini: ſi verò mortuus fuero non auferes miſericordiam tuam à domo mea uſque in ſempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David & cætera.* Quod dicente Jonathã ad David quem inſecutionibus patris ſui non juſtis dolebat fatigari: *Si vixero, facies mihi miſericordiam Domini: ſi verò mortuus fuero, non auferes miſericordiam tuam à domo mea uſque in ſempiternum: quando eradicaverit Dominus inimicos David, unum quemque de terra.* Cum adjungeret ſcripſitura, *Pepigit autem fœdus Jonathan cum domo David: continud ſubintulit, dicens: Et requiſivit Dominus de manu inimicorum David.* Per anticipationem utique fecit, prius hiſtoriæ interſerendo, quòd multo poſt tempore factum eſt, cum interfecto Saule regnum ad domum David translatum eſt: & qui innocentem cum injuſtè perſequebantur, juſtã ſunt diſiniſtione multati. Tunc enim requiſivit Dominus de manu inimicorum, quare virum ſanctum: afflictiſſim. Tunc cogebantur rationem reddere odiorum, quibus contra illum tanto tempore ſævierant. Quod & de Abſolon, & de Seba filio Bochi, & de cæteris hoſtibus David poteſt intelligi. Aliter, ſi ſcire vis quid de manu inimicorum David requiſierit Dominus, poteſt, ni fallor, à ſuperiore ſententiã, qua dictum eſt, quòd fœdus pepigerit Jonathan cum domo David, aperte intelligit: quòd hoc de manu inimicorum David requiſierit, id eſt quare non & ipſi fœdus cum eo pacis iniſe voluerint, cum quo eſſe Dominum viderant. Idcirco autem ſcriptura hæc ſententiã præoccupando interponere videtur, ut teſtimonium Jonathæ, quo dixerat, *Quando eradicaverit inimicos David, unumquemque de terra: verum eſſe comprobaret, quia videlicet eradicati ſunt inimici David de terra, non ipſo David ſe de adverſariis ulciſcente, ſed judicante Domino pro illo. Bene autem ſubjungitur: Et addidit Jonathan deſerere David, eo quòd diligebat illum: ſicut enim animam ſuam, ita diligebat eum: ut ille nimirum, qui tam perfectò juxta legem Dei amore complectebatur David, perditione inimicorum ejus oſtenderetur immunis. Qui etſi ita morte præreptus, regnum cum eo, ut ſperabat, terrenum habere nequivit commune, abſque ulla tamen contradictione regni cœleſtis confortium cum eo, quem pro gloria virtutum tantisper dilexit, cum eſſet & ipſe virtutum plenus, accepit.*

VI.  
1. Reg. 25.

*Si enim ſurrexerit homo aliquando perſequens te, & querens animam tuam, erit anima domini mei cuſtodita, quaſi in ſaſciculo viventium apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur quaſi in impetu, &c.* Quod Abigail interpellans pro te & pro domo ſua, ait ad David, quem

vir ejus ſtulticia & ebrietate ſopitus offenderat, *Si enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & querens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in ſaſciculo viventium apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur, quaſi in impetu & circulo fundæ: pulcherrima comparatione itaſtorum à reproborum forte diſcernis: Horum quippe animas appellat viventes, ut illorum econtrariò ſpiritali morte præoccupatas inſinnet, juxta illud Prophetæ: *Anima qua peccaverit, ipſa morietur.* Hoſ ſaſciculo, illos lapidi fundæ affimilat: ſaſciculus enim conſtringitur, ut integer maneat & conſervetur: lapis in funda expeditus ponitur, ut abjiciatur. Sic etenim in hoc ſeculo electi preſſuris tribulationum coangulſtantur, ut his admoniti artius ſe ad invicem mutua charitate conſtent, & coadunati ad invicem manu ſui redemptoris in perpetuum conſerventur. At verò reprobi quanto licentius in hac vita voluptatibus propriis veluti liberi dimittuntur, tanto longius in futuro à divina viſione gloria projiciuntur: ut de eis merito dicatur, *Et quidem ipſi de manu tua expulſi ſunt.* Mire autem omnipotentem providentiam deſcribit ſuperni protectoris, cum dicit, *animam viri ſancti, quaſi ſaſciculo viventium apud eum necèſſe cuſtoditam.* Sicut enim facillimum eſt cuilibet ſaſciculum herbe vel ſœni, ſua manu retereum conſervare: ita virtus Domini & ſalvatoris noſtri omnes per orbem electos ab initio uſque ad finem ſeculi, ne qui ex eis ullaratione pereant, ſine labore tuetur. Juxta quod ipſe in Evangelio ſub figura ovium de eis loquens: *Et ſequatur me, inquit, & ego vitam æternam do eis, & non perierunt in æternum, non rapiet eos quiſquam de manu mea.* Sicut ſaſciculus unus quibuslibet vinculis alligatur, ita omnis ſanctorum cõtus una eademque fide, ſpe & charitate ad invicem conſtringitur, uno divina protectionis munimine circumdatus. Pater ſanè uterque ſenſus, quia anima David, perſequentibus hæc hoſtibus, cuſtodita temper tuit in forte viventium. Porro inimici ejus inſiſtentibus ſibi adverſariis, ſicut lapis funda circumactus, ſic inſtabili motu perturbandi, & ſuis eſſent expellendi de ſinibus, vel eam humanis rebus auferendi.*

*Et præcepit, ut docerent filios Iudæ arcam, ſicut ſcriptum eſt in libro juſtorum.* Quod ſcriptum eſt de David, quando plangebat interfectos Saul & Jonathan, *Et præcepit docerent filios Iudæ arcam: hoc ideo facit, ut quod Philiſteos agitariis abundare jam noverat, unde & Saul maxime horum iſtibus perierat, eandem bellandi artem & ſui milites ad revincendum eos diſcerent.* Quod verò ſcriptum eſt in libro juſtorum: ipſum librum hodie nullquam, neque apud ipſos Hebræos invenire poſſe aſſeverant, ſicut nec librum bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio eſt: neque carmina Salomonis, neque diſputationes ejus ſapientiſſimas de lignorum natura, herbarumque omnium, itemque jumentorum, volucrum, reptilium & piſcium: vel quæ in libro verborum dierum. Reliqua verò operum Salomonis priorum & noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahia Silentiſtis. In viſione quoque Ado videntis contra Hierobeam filium Nabat, & multa hujusmodi volumina, qua ſcriptura quidem fuiſſe probat, ſed hodie conſtat non eſſe. Viſtata namque à Chaldæis Judæa, etiam bibliotheca antiquiſſis congregata, inter alias provinciarum opes hoſtibus igne conſumpta eſt. Ex qua pauci qui nunc in ſanctâ ſcriptura continentur libri, poſtmodum Ezra Pontificis & Prophetæ ſunt induſtria reſtaurati. Unde ſcriptum eſt de eo: *Aſcendit Ezra de Babylone, & ipſe ſcriba velox in lege Moſi.* Velox videlicet, quòd promptiores literarum figuras quàm eatenus Hebræi habebant, & repererit. Et in Epitola regis Perſarum: *Artaxerxes Rex regum, Ezra ſcriba ſcriba legi Dei celi doctiſſimo ſalutem.*

*Et percuffit Moab, & menſus eſt eos ſuniculo coquantem terra. Menſus eſt autem duos ſuniculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum.]* Quod ſcriptum eſt de David, *Et percuffit Moab, & menſus eſt eos ſuniculo coquantem terra: hyperbolice debet accipi. Non enim fieri poterat, ut homines in terra viventes, in tantum humiliarètur, donec ipſius terre*

darſo

dosfo funiculo superextenso comprobante apparetur æquales; sed immensam humilitatem captae & oppressæ gentis voluit scriptura hoc verbo accumbere, ut diceret coarctatos eos terra, qui sub eo essent evirati atque contempti. Ita in nullo amplius homines in terra degentes, quam terra ea quæ nullos haberet homines, possent valere. Hujusmodi locutionis plura habes exempla in scripturis, quale illud Evangelii: *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros.* Quomodo enim non caperet mundus libros qui scribi potuissent in mundo? Sed ad insinuandam magnitudinem ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit uti scriptura. Et in planctu David, *aquilis velociores, leonibus fortiores.* Cui simillimum est illud etiam secularium literarum:

*Qui candore nives anteirent cursibus auræ.*

Quod autem mensus eos funiculo dixit, funiculum allegorice pro forte posuit, eo quod funiculo solent agrorum spatia metiri. Unde scriptum est: *Et forte divisit eum terram in funiculo distributionis.* Significat autem, quod tam libera dispositione David regiones Moabitaram hæredibus, quibus vellet, divideret, quam si possessor quilibet agros proprios ad nutum suum ducto hinc inde funiculo dirimeret. Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidentum, & unum ad vivificandum. Et hoc allegorice dictum, significans quod in sua potestate habuerit, nullo urique contradicente, quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret subiectis.

**IX.** *Ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus.* Quod dicitur de sapientissimo principe fortium David, cujus quidem nomen est in Regum libro tacetur: at verò in libro Paralipomenon Jesbaam nominatur, & fuisse filium Hachamoni commemoratur. *Ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus.* Virtus simul bellica & modesta, viri designatur civilitas: quod videlicet sicut vermiculus ligni tener quidem & fragilis toto suo corpore, necnon & permodicus apparer, nihilominus tamen fortissimum ligni robur exedens consumit, & cariosum reddit. Unde & a terendo ligna, teredinis nomen habet. Sic ille affabilis omnibus domi, & quietus atque humilis videbatur: at in secretamine publico robustum se atque intolerabilem hostibus exhibebat leonem.

**X.** *Ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna.* Quod dicitur de Banaia: *Et ipse descendit, & percussit in media cisterna leonem debus nivis.* Quomodo sit factum, Josephus narrat appetit: quia videlicet cisterna fuerit nimium profunda, quæ tempore hyemis, cum essent omnia nivibus plena, ipsa quoque nimio nivium aggestu fuerit coarctata. Quam cum leo superveniens, periculum nesciens, incidisset, ibidemque conclusus grandi rugitu clamarer, adcurrerant homines videre quid esset. Et dum cum aliis ad tale spectaculum adveniret Banaia, desilivit statim in cisternam, & aggressum mediis in nivibus percussit & interfecit leonem.

**XI.** *Quare in libro Regum dicitur, quod templum habebat XXX cubitos in altitudine, cum in lib. Paralip. habebatur CXX.* Quod in constructione templi dicitur in lib. Regum, quod habebat triginta cubitos in altitudine, cum in lib. Paralipomenon scriptum sit: *Porro altitudo centum viginti cubitorum erat: nequaquam discrepare, sed utrumque verum esse noscendum est.* Nam Josephi narrat historia: Triginta erant cubita à pavimento usque ad medium cœnaculum, triginta rursus à medio usque ad tertium, quousque porticum, quæ templo ab Australi, & Occidentali, & Septentrionali latere cohærebant, altitudo pertingebat, id est simul sexaginta: deinde alii sexaginta usque ad supremum domus tectum: itaque tota ejus altitudo centum viginti cubitis adimpletur.

**XII.** *Ostium lateris medi in parte erat domus dextra.* Quod dicitur, *Ostium lateris medi in parte erat domus dextra:* non, ut quidam putant, hoc indicat, quod ostium quo intraretur in templum, ab Australi parte, hoc est in latere medio parietis meridiani fuerit factum. Alioquin simpliciter diceret scriptura: *Ostium domus erat positum contra au-*

strum. Nunc verò ostium quidem, quo ad quotidiana templi ministeria ingrediebatur, erat ad Orientem, ut Josephus refert: & porticus ante faciem illius, & ipse patens ad Orientem, ita ut exoriens sol æquinoctialis sine ullo obstaculo radios suos per ostia templi & oraculi in ipsam arcam, quæ erat in sancta sanctorum, mitteret. Porro ascensus qui in domum superiorem, & à superiore ducebat in tertiam, in Australi erat templi (hoc est enim dextra pars domus) absconditè factus, habens ostium permodicum inferius ab Oriente in ipso angulo dextri parietis. Unde consequenter adjungitur: *Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* Cujus dispositio ascensus mysterium nobis multum memorabile commendat, claret namque, quod templum hoc quod Salomon fecit, corpus pacifici Regis Christi, non solum illud quod est ejus Ecclesia tota, verum etiam ipsum quod sacrosanctum de virgine, ut ellet caput Ecclesie suscepit, figuratè insinuat. *Et autem ostium lateris mei in parte domus dextra,* de quo occultè ab inferioribus in medium cœnaculum, & à medio ascenderent in tertium. Quod passio in cruce Domino, unus militum lancea lateris ejus dextram aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua, qui est sanguis redemptionis, & aqua nostræ ablutionis, quibus emundati & consecrati mysteriis, de hac quam in teris agimus vita, ad requiem spiritus in futuro, quasi ad superiorem domum tendimus. Et ubi carne soluti ad requiem spiritus ascenderimus, carnis etiam nostræ receptione in die resurrectionis, quasi supremi cœnaculi expectamus ascensum.

**XIII.** *Texit quoque domum laquearibus cedrinis.* Quod dicitur, *Texit quoque domum laquearibus cedrinis:* laquearia sunt tabulata, quæ supposita trabibus, affiguntur clavibus, decorumque picturæ suæ solent expectantibus præmonstrare mirandum. Terna autem erant in templo laquearia. Prima videlicet habebant triginta cubitos à pavimento: secunda habebant cubitos sexaginta, contra summitatem porticum: tertia habebant cubitos centum & viginti, in summitatem totius domus. Non enim in Palæstina, sicut nec in Ægypto culmina in tectis habentur, sed plana potius tecta domorum, ad sedendum videlicet vel deambulandum apta construuntur. Unde dicit in Evangelio Dominus: *Et quod in aure audistis, prædicabitur in tectis.* Talis namque locus aprissimus est, unde verbi verbum prædicator, vel assidentibus sibi, vel inferius positus auditoribus proferat. De quo & in Proverbiis Salomon: *Melius, inquit, habitare in angulo domatæ, quam cum muliere litigiosa in domo cinnamoni,* quod enim latine tectum, græcè dicitur doma. Sed & porticus ipsæ circa templum terna habebant laquearia. Prima habebant cubitos à terra viginti, secunda habebant quadraginta, tertia habebant sexaginta. Plana enim & ipsorum facta erant tecta. Erant autem porticus triginta inferius, triginta in medio, triginta desuper, non mutis ab invicem, sed tabulatis discretæ, ita ut linguæ earum, quæ erant numero nonaginta, quinos cubitos in latitudine & longitudine, vicenos autem in altitudine haberent. De quibus videlicet porticibus frequens in libro verborum dierum mentio est. Sed quo sint ordine dispositæ, plenius explicat Josephus. Quod autem sequitur, *Et edificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudine:* hoc est, quod in Deuteronomio præcepit Moyses: *Cum edificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceptis ruente.* Hoc etenim tabulatum in extrema summitate mitorum templi vice cancellorum erat erectum, ne quis ad superiora conscendens, dum ad terminum tecti perveniret, incautè progrediendo dilaberetur ad ima. Quod esse passum Regem Ochoziam, in sequentibus invenitur: *qui per cancellos cœnaculi decedens, Jethiferum incidit in languorem.* Quibus videlicet tabulatis, vel muris, vel cancellis, cum ad tutelam viæ ponuntur, vulgus rusticorum nomen indidit. Quodque subdit, *Et operuit domum lignis cedrinis:* supremum totius instructuræ tegumentum designat, hoc est tabulatum, quod illis trabibus desuper appositum erat;

XIII. 3. Reg. 6

Prov. 21

Deut. 22

quibus suprema quæ prædiximus laquearia subter erant affixa.

XIV. Cumque vestes eminerent, & apparerent summitate eorum foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui & fuerunt ibi usque in presentem diem. In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabule lapideæ, & cætera.] Quod

3.Reg.8 illata arca in sancta sanctorum dicitur, Cumque eminerent vestes, & apparerent summitates eorum foris sanctuarium ante

2.Par.5 oraculum, non apparebant ultra extrinsecus: hoc minifeltius in Paralipomenon volumine scribitur. Vestium, inquit, quibus portabant arcam, quod paululum longiores erant, capita patebant ante oraculum. Si verò quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Ubijotandum, quia etsi capita vestium accedentibus propius, ac diligentibus intuentibus

parebant ante oraculum: non tamen fieri poterat, ut ipsa eorum capita ante oraculum eminerent: quia nimirum necesse erat, ut clauso oraculo, & appenso ante ostia velo, ipsi quoque vestes toti cum arca & Cherubin abderentur interitus. Quod fieri non poterat, si prominentes ultimus vestes prodecedendis ad claudendum ostiis locum non darent. Quorum positionem vestium scriptura non sine causa, sed magni intuitu sacramenti tam diligenter expedire curavit. Constat enim, quod domus templi exterior peregrinantes in terris Ecclesiam, sancta autem sanctorum internam supernæ patriæ felicitatem designat. Item illata in sancta sanctorum arca, assumptam Christi humanitatem, & intra velum reginæ cælestis indutam: vestes verò quibus eadem arca portabatur, prædicatores verbi, per quos ipse mundo innotuit, typicè denuntiant. Erat autem in arca terna aurea habens manna, quod in homine Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Erat virga Aaron, quæ excita denuò floruerat: quod potestas omnis judicandi penes eum est, cujus iudicium in humilitate passionis videbatur esse sublatum. Erant & tabule testamenti, quia in illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Adhærebant ei vestes, quibus portabantur: quia doctores qui collaborabant in verbo Christi, nunc præsentis visionis gaudent gloriæ Christi. Quod enim unus eorum de se dixit, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*: de omnibus utique sui operis confortibus intelligendum reliquit. Apparebant summitates vestium foris ante oraculum non semper, sed eum ostia ejusdem oraculi aperiri contingeret: neque hoc in omnibus, sed his solummodo, qui propius accedentes, attentius ea quæ intus erant satagebant intueri. Ipsa autem arca qualis & quomodo esset posita, solis eis qui oraculum intrarent, videre licebat: quod nullus sanctorum in hac adhuc vita positus, tamen multum in altitudine se mentis attollens, sed solius illius patriæ civis gloriam inibi sui redemptoris plene contueatur. Sed & vestes cum arca in oraculo reconditi, quod absconditi sunt etiam nunc perfecti, quique electi, qui nos præcesserunt, de mundo, in abdito vultus Dei, à conturbatione hominum. Quorum tamen summitates vestium nonnunquam aperto oraculo, his qui appropiant visuntur, cum perfectioribus quibusque, atque oculo sui cordis tota intentione purificantibus, divina gratia aliquid extremum de superiorum civium gaudio contemplandum donaverit; quæ nimirum contemplatio his qui paulò longius recesserint, minime conceditur, quod quanto exterius mente vagate manent, tanto minus quæ sint interna gaudia vident.

Phil.2. Fecit Salomon festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo.] Quod dicitur, Quia fecit Salomon festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo: multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti coram Domino. Per introitum Emath, Septentrionalem terræ repromissionis plagam: per rivum sive torrentem Ægypti, ut verba dierum nominant, designat australem. De quibus aliqua latius ex verbis sancti Hieronymi ponere, gratum puto esse lectori. Scriptum est in libro Numerorum, in quo omnis terra repromissionis per quatuor plagas brevi sermone dividitur: Pars meridiana incipit à solitudine Sin, quæ est juxta Edom, & habet terminos contra Orientem mare salissimum,

XV. Fecit Salomon festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo.] Quod dicitur, Quia fecit Salomon festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo: multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti coram Domino. Per introitum Emath, Septentrionalem terræ repromissionis plagam: per rivum sive torrentem Ægypti, ut verba dierum nominant, designat australem. De quibus aliqua latius ex verbis sancti Hieronymi ponere, gratum puto esse lectori. Scriptum est in libro Numerorum, in quo omnis terra repromissionis per quatuor plagas brevi sermone dividitur: Pars meridiana incipit à solitudine Sin, quæ est juxta Edom, & habet terminos contra Orientem mare salissimum,

Num.34

qui circumbunt australem plagam per ascensum scorpionis, usque ad transiitum in Senna, & proveniant in meridiem usque ad Cadisbarne, unde egredientur consinia ad villam nomine Adar, & tendent usque ad Asemona, ibique per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, & maris magni littore firmetur. Pro quo in ultima visione Prophetæ Ezechielis ita dicitur: Plaga autem australis meridiana à Thamar usque ad aquas Mariboth, id est contraditionis, Cades quoque & torrens usque ad mare magnum, quæ significat latissimam solitudinem Sin, quæ est juxta Edom, & in mari rubro terminum circumire, & per ascensum scorpionis, & pen Senna, & Cadisbarne, & atrium sive villam Adar, & ab Asemona pervenire usque ad torrentem Ægypti, qui juxta urbem Rhinocoruram mare influit. Hic verò terminus plagæ Australis incipit à Thamar, quæ urbs in solitudine est, quam & Salomon miris operibus extruxit, & hodie Palmyra nuncupatur, Hebraicè quoque sermone Thamar dicitur, quæ in lingua nostra palmam sonat: usque ad aquas contraditionis Cades, quam in deserto esse non dubium est. Et torrens ingrediens mare magnum, hoc quod Ægypti Palæstinæque præterdit littoribus.

Sequitur in libro Numerorum: Plaga autem Occidentalis à mari magno incipit, & ipse sine claudetur: hoc est à mari usque ad mare, à torrente videlicet Rhinocouræ, qui in mare influit, usque ad eum locum, ubi est Hemath urbs Syriæ. Cujus in hac plaga & nomen ponit Ezechiel: Et plaga, inquit, maris mare magnum à consinio per directum, donec venias Hemath, quæ nunc Ephiphania nominatur, ab Antiocho crudelissimo tyrannorum nomine, communito: nam cognomentum habuit Epiphane. Porro ad Septentrionalem, inquit, partem à mari magno termini incipient, perveniens usque ad montem altissimum, à quo veniunt in Hemath usque ad terminos Sedada, ibique consinia usque Zephrona & villam Enan. Hi erunt termini in parte Aquilonis. Dicitur Hebraicè Septentrionalem plagam incipere à mari magno, quod Palæstinæ, Phœnicis & Syriæ, quæ appellatur Cœle, Ciliciæque, præterdit littoribus, & per Ægyptum tendit ad Libyam. Quod autem dicitur perveniens terminos usque ad montem altissimum, iidem Hebraici autem, vel Amanum montem significare, vel Taurum, quod nobis videtur verius. ibi quoque consinia, inquit, usque Zephrona, quam urbem hodie Zephyrium oppidum Ciliciæ vocant. Quod autem sequitur, & villam Enan, pro quo in Hebræo scriptum est Hafer Enan, quæ interpretatur atrium fontis, terminus est Damasci. Unde dicit Ezechiel: Et erit terminus à mari usque ad atrium Enan, sive Hafer Enan, terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aquilonem plaga Septentrionalis. Inde metabuntur, inquit, fines contra Orientalem plagam de villa Enan usque Sephama, & de Sephama descendunt termini in Rebla contra fontem. Inde perveniens contra Orientem ad mare Chenereth, & tendent usque ad Jordanem, & ad ultimum salissimum claudentur mari. A fine incipit Septentrionalis plagæ, hoc est atrio Enan, tendunt fines usque ad Sephama, quam Hebraici Apamiam nominant. Et de Apamia descendunt termini in Rebla, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. Et ut scias Reblam hanc significare urbem, quæ nunc in Syria Cœle nobilissima est, sequitur, contra fontem, quem perspicuum est, significare Daphnim, de quo fonte supradicta urbs aquis abundantissimis fruitur. Inde, inquit, perveniens termini contra Orientem ad mare Chenereth, id est, ad stagnum Tyberiadis. Mare autem dicitur, cum habeat dulces aquas, iuxta idioma scripturarum, quo congregationes aquarum appellantur maria. Et tendent, inquit, termini usque ad Jordanem, & ad ultimum claudentur mari, vel mortui, vel (ut alii putant) lingua maris rubri, in cujus littore Ahila posita est.

In diebus ejus edificavit Abiel de Bethel Iericho.] Quod scriptum est de temporibus regni Achab: In diebus ejus edificavit Abiel de Bethel Iericho: in Abiram primogenito suo fundavit eam; & in Segub novissimo suo posuit portas ejus. Patet sensus, quod cum præfata conditor urbis fundamenta illius ponere inciperet, primogenitus ejus, qui vocabatur Abiram, mortuus est. Et cum urbe ædificata

portas

10. sue 6.

1. Cor. 10.

XVII.

3. Reg.

20.

XVIII.

4. Reg.

11.

Ac. 17.

portas munire tentaret, novissimum filiorum suorum cognomento Segub amisit. Futurum Josue, cum eam destruatam anathemati traderet, imprecando prædixit: *Maledictus, inquit, vir coram Domino, qui suscitaverit & edificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius faciat. & in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Quod verò Ahiel vivens Deo, Bethel interpretatur domus Dei: Ahiel de Bethel destructa à Josue, atque anatematizata Jericho mœnia restaurat, cum quis eorum qui in Ecclesia habitum religionis assumpserat, ad agenda scelera, quæ ei Dominus Jesus in die baptismatis donaverat, redit, quasque ipse anatematizaverat, diaboli pompas luxuriosè vivendo repetit, cum hæreticorum dogmata, vel gentilium fabulas veritate Ecclesiastica, qua imbutus est, quasi de Bethel egrediens, ruinas Jericho refuscitat. Meritoque talis coram Domino maledictus, & primum filiorum in fundatione nefariæ civitatis, & novissimum in portarum positione amittit. Quia & fundamenta fidei, à quibus bona ædificia inchoare, & domum bonæ actionis, quibus perficere debuerat, perdit. Hæc & allegorico sensu expunge sic exposui, ut reminiscaris quàm sit verus Apostoli sermo, qui dicit, quod omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos.

*Hæc faciant mihi diti, & hæc addant, si suffecerit pulvis Samariae pugillis universi populi, & cætera.* Quod Benadab rex Syriæ, oblidens, & impugnare incipiens Samariam, ait: *Hæc faciant mihi diti, & hæc addant, si suffecerit pulvis Samariae pugillis omnis populi mei qui sequitur me: hunc habet sensum, Samaria necesse est juxta morem civitatum, habebat terram interiùs prope muros, penesque muris æqualem, ne videlicet eos sine subsidio terræ adjacentis erectos creber insistente manu hostili deiceret. ictus arietis. Murorum etiam altitudo longè super faciem terræ transcenderat, maxime cum in montis vertice, ut Scriptura refert, fuerit urbs eadem posita. Ait ergo Rex superbus, obsessam terrens civitatem, quòd tantam haberet secum exercitus multitudinem, ut eam si quique militum ejus unum solummodo lapidem, vel cespitem, vel slipitem ad construendum contra urbem aggerem adportasset, tam sublimis eò posset agger exurgere, qui superficiem civitatis ipsius, quæ erat intra muros, esse videretur æqualis; ita ut ex æquo pugnantibus contra civitatem tela, vel faces mittere possent. Cujus temeritatem arrogantiam modesto sermone compefcens rex Israel, ait: *Dicite ei ne gloriatur accinctus equè ut discinctus.* Aliud est autem accinctus, aliud discinctus, aliud non accinctus. Accinctus namque est, qui cingulo circumdatus incedit: discinctus, qui cingulum nuper deposuit. Verbi gratia: Balneum instratus, vel lectum ascensus, vel alteram fortè tunicam indutus. Non accinctus, qui nuper tunicam indutus, necdum se addita zonæ circumpositione munivit. Sic ergo & in expeditione castrensi qui positus est, rectè accinctus nominatur, id est armis indutus. Qui pugna confecta victor domum rediit, jure discinctus vocatur, quia nimirum depositis armis optatæ pacis otium gerit. Qui verò necdum pugnare, neque se ad certamen paratè jam cœperat, merito non accinctus esse dicitur. Ait ergo rex Israel regi Syriæ, gloriantem quòd jam cœpsisset Samariam, quam obsidere cœperat: *Ne gloriatur accinctus equè ut discinctus.* Ac si aperte dicat: *Noli gloriari, quasi jam victor bellici discriminis, qui adhuc in acie positus, quem victoria sequatur ignoras. Et verum protèstò dicitur. Nam mox inito certamine Benadab non victis adversariis triumphans, sed cæso suo exercitu fugiens domum rediit.**

*Tertia pars vestrum introeat sabbato, & observet excubium domus Regis.* Quod ait Jojada pontifex sacerdotibus: *Et proferens Joas filium Azariæ, quem sex annis, quibus regnavit Athalia, clam nutriebat in templo. Tertia pars vestrum introeat sabbato, & observet excubium domus Regis. Tertia autem pars sit ad petram Seir, & tertia pars ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum. Custodietis excubium domus Messa. Dua verò partes est vobis omnes egredientes, sabbato custodiant excubium domus Domini circum Regem, & vallabitis eam, habentes arma in manibus vestris: & cætera, quæ*

ibidem dicta vel facta commemorantur, meliùs intelliguntur, si de locis templi, in quibus actum est, latius aliqua replicentur.

Templum quidem ipsum, exceptis porticibus, quibus omni ex parte sibi adherentibus circumdabatur, habebat intra parietes (hæc est enim mensura prima, quam verba dierum nominant) sexaginta cubitos longitudinis, viginti autem latitudinis. Cujus omnis ambitus actio tres cubitos alto erat circumdatus, habente introitum à parte Orientis, & in libro Regum ita meminit Scriptura: *Et edificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri.* Interius videlicet hoc appellans atrium, eo quòd alia circa hoc exteriora sint facta. Porro in verbis dierum ita: *Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem, & ostia in basilica, quæ textis erant.* Atrium videlicet sacerdotum hoc nominans, quod ingredi sacerdotibus licere designaret. Erat autem hoc idem atrium ab Australi, Occidentali & Septentrionali parte vicinibus muro templi. Porro ad ortum Solis, unde & introitum per gradus habebat, in magnam se prolixitatem à templo protendebat: ut potè quod in illa sui parte altare holocausti, in illa luteret bis quinos, in quibus hostiæ lavarentur: in illa mare æneum, in quo intraturi ad ministerium sacerdotes lavarentur; in illa sacerdotum immolantium & psallentium habebat choros Levitarum. Circumdabatur autem hoc atrium undique versum à longè æde permaxima in quadrum. Cujus interior paries, id est quæ templum à quatuor mundi partibus respiciebat, inferiùs erat per totum in arcubus constructus, ulterior verò firma soliditate fundatus. Et januas habens æreas, ut supra dictum, commemoravimus. Et ostia in basilica, quæ textis erant: quæ etiam porticibus communita maximis, & opportunis erat discreta coenaculis. Et rursum extra hæc ædem in gyro altare simili schemate factum. Sed & tertia nihilominus circa illa eodem ordine facta per gyrum, interiora omnia longè lateque circuibat: sit hoc tantum à prioribus distans ædibus, quòd Orientalis & Septentrionalis ejus paries ostia minime habebat, eò quòd uterque eorum ad muros pertineret civitatis. Hæc autem sunt atria, de quibus canitur in Psalmis, *Qui stat in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Et quoniam ipsa domus Domini in editiore loco constructa erat, fiebat ut atria quanto exteriora fierent, tanto altiores haberent parietes, ut potè infernis fundamenta habentes: adeo ut ultima quadringentos in altitudine cubitos haberent, nec tamen æquandæ templi altitudini aliquantulum propinquarent. Quorum omnium in libro Paralipomenon ita generalis sit mentio. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus & templi, & cellariorum, & coenaculi, & cubulorum in atriis, & domus propitiations, necnon & omnium quæ cognoverat atriorum & exedarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum.* Sed Josphi scriptura vel pictura ab antiquis formata, plentius quo sunt hæc ordine facta, distinguit.

His verò ita compositis, in sancta sanctorum summum tantum sacerdotis erat semel in anno cum sanguine hostiarum ingredi, in sanctuario ante oraculum sacerdotes tantum purificati introibant, in atrio interiore sacerdotes omnes & Levitæ. Circa hoc atrium sub dio, vel si tempestas arcebat, in ædibus circumpositis viri Israelitæ ad orandum sive audiendum verbum convenire solebant. In tertio ordine atriorum stabant ad orandum mulieres Israelitæ sub dio, vel si tempestas non sinebat, proxima circumpositarum ædium tecta subibant. Porro in ultimo ordine atriorum gentiles, qui ad orandum fortè conveniant, intrabant. Ubi etiam tempore dispersionis, hi qui de gentibus nuper adveniant Israelitæ, & purificati sic tandem interiora sanctorum peribant. Quæ autem inter atria vel in atriis erant pavimenta, lapide vario sunt omnia strata. Ita verò ostia in ædibus contra invicem posita erant, ut hi etiam qui in ultimis consistebant, templum possent intueri. Erant autem sortes viginti quatuor & sacerdotum & Levitarum & janitorum,

3. Reg. 6

2. Par. 4

Pf. 113.

& 134.

1. Par.

28.

Lib. antiq. 8. c.

3.



rum, qui per totidem septimanas sibi ex ordine succederent, sabbato nova turba intrante ad officium, & post sabbatum ea quæ proxima septimana ministraverat, domum redeunte. Sed hic Pontifex propter necessitatem augendi circa novum Regem exercitus, & eos qui intrandi septimanam ordinem habebant, suscepit: & illos qui jam suam septimanam ministrando impleverant, ne abirent retinuit. Qui alios quoque Levitas de cunctis urbibus Juda, simul & principes familiarum Israel, missis in loco centurionibus Hierosolymam congregaverat, ut verba dierum narrant. Quos educturus, filium regis tali ratione distinxit, ut omnes qui impleverant sabbatum, & egressuri erant, in duas divisi partes, Regem in interioribus atrii locis armati circumstarent. Reliqua verò multitudo, id est, hi qui non erant de stirpe Levi, exteriores atriorum januas contra furorem reginæ, si quid fortè adversi moliretur, custodirent. Porro hi qui nuper ad sabbatum venerant sacerdotes, Levitæ & janitores, in tres divisi partes, domum Regis, id est palatium observarent: ne vel hoc regina collecto exercitu contra Regem defenderet. Servarent & portam habitaculi scutariorum, per quam de templo ad palatium descendebarat, sicut infra diceretur. Duxeruntque Regem de domo Domini, & venerunt per viam porta scutariorum in palatium, & sedit super thronum Regum. Vbi etiam porta Seir, & domus Messa, que cum porta scutariorum nominatur, esse videntur. Scutarios autem tutores Regis appellat, testante libro Paralipomenon: qui cum Roboam scuta ærea pro aureis fecisse commemorasset, adjicit: Et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii. In quo videlicet libro distinctius hæc cuncta replicantur. Tertia pars vestrum, qui veniunt ad sabbatum, sacerdotum & Levitarum, & janitorum, erit in portis. Tertia verò pars ad domum Regis, & tertia in porta, que appellatur fundamenti. Omne verò reliquum vulgus sit in atrio domus Domini. Nec quisquam alius ingrediatur domum Domini, nisi sacerdotes, & qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodo ingrediuntur, qui sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus observet custodias Domini. Levitæ autem circumdant Regem, habentes singuli arma sua, & cætera.

**XIX.**  
4. Reg. 11.  
2. Par. 23.  
Produxitque filium Regis, & posuit super eum diadema & testimonium. Quod sequitur de eodem: Produxit filium Regis, & posuit super eum diadema & testimonium. In diademate insigne capitis regium, in testimonio designat decreta legis Dei: quibus quid agere Rex debeat, qualiter vivere, præcipitur. Denique in libro verborum dierum apertius: Et imposuerunt, inquit, ei diadema, dederuntque in manu eius tenendam legem: & magna utique erat, salutariisque prudentia, ut post tyrannicæ impiæque necem reginæ, succedenti in regnum filio Regis legitimi, cum ipso regni habitu simul disciplina legis Dei servanda committeretur: ut qui se prælatum populo regendo videret, ipse se regendum divinis legibus subditi debere meminisset.

**XX.**  
4. Reg. 12.  
Et non fiebat ratio hu hominibus, qui accipiebant pecuniam, & cætera. Quod instaurante templum Domini præfato rege Joas, dicitur, Et non fiebat ratio hu hominibus qui accipiebant pecuniam, ut distribuere eam artificibus, sed in fide tractabant eam: devotionem ostendit eorum, de quibus sermo est, qui tantum studii in religione habuerint, ut nullus dubitaverit, quin pecuniam Domini sine alicujus fraudis suspitione tractarent, & hanc de arario sublatam fideliter artificibus ad muniendam domum, prout in singulis opus esset, offerrent.

**XXI.**  
4. Reg. 14.  
Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, & cætera. Quod dicitur de Amasia rege Juda: Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen eius Isebel. Vallis salinarum erat ubi sales faciebant, vel sæno videlicet saluginis, ut multis in locis deciso, exiccato & incenso, vel aquis puteorum salis fervefactis, & usque ad salis firmitatem coquendo perductis, vel alio quolibet ordine, quo sal fieri consuevit. In quo etiam loco Joab duodecim millia Idumæorum percussisse legitur. Nec prætereundum, quod pro valle salinarum vetus editio quasi nomen regionis Gemelach posuit. Petra autem civitas est Arabia nobilis. In ea-

dem terra Edom, quæ in libro Numerorum Recem dicitur, & à Syriis hodie usque sic appellatur. Isehel verò, quod Amalias victor eil nomen imposuit, interpretatur cæcus Dei, vel auxilium Dei, agente eo fideliter, ut perenni inderetur memoria, quia hanc vel cæcus populi Dei, vel Deo adjuvante cæperit.

Ipse restituit terminos Israel ab introitu Hemath, & cætera. Quod dicitur de Hieroboam rege Israel: Ipse restituit terminos Israel ab introitu Hemath, usque ad mare solitudinis Hemath, quæ nunc Epiphania dicitur, septentrionalis erat terminus Israel. Mare autem solitudinis, quod hebraicè dicitur Araba, mare mortuum designat, quod in longitudine per stadia 508. usque ad Zaoas Arabia, in latitudine 150. usque ad vicinia Sodomorum progreditur.

Et unaquæque gens fabricata est Deum. Quod dicitur de his quæ in Samariam à Rege Assyriorum adductæ sunt nationibus: Et unaquæque gens fabricata est Deum quem profueruntque eos in phanis excelsis, que fecerant Samaria, gens in urbibus suis, in quibus habitabant. Viri enim Babilonii fecerunt Sochoth Benoth, viri autem Cutheni fecerunt Nergel, & viri de Hemath fecerunt Afima. Porro Evai fecerunt Nebaaz & Tharthac. In libro quidem Locorum legitur, quod Benoth & Nergel fuerint civitates, quas construxerunt in regione Juda Samaritani, qui de Babilonia transfugerant. Afima quoque oppidum, quod edificaverunt, qui eodem venerant de Hemath. Nebaaz enim & Tharthac civitates, quas Evai in eadem Jude terra condiderunt. Videtur autem juxta consequentiam sermonis, etiam idololatriam, quibus hæ gentes prius in terra sua servierunt, hic posse vocabula intelligi. Quod cum dictum esset, Et unaquæque gens fabricata est Deum suum: ad expletionem sententiæ subjunctum sit, Viri enim Babilonii fecerunt Sochoth Benoth, id est tabernacula Benoth. Et melius, nisi fallor, faceret interpretes, si Sochoth Latine in tabernacula verteret, & nomen idoli Benoth absolute poneret: & licet in sequentibus manifestè dicitur: Hi autem qui erant de Spharvaim, comburebant filios suos igni Adramelech & Anamelech diis Spharvaim: ubi ostenditur Adramelech & Anamelech idola fuisse urbis Spharvaim. Ita videtur consequens, ut etiam Nergel Cuthenorum, Afima Hemathiorum, Nebaaz & Tharthac, idola fuerint Evæorum.

Vbi est Deus Hemath & Arphad? ubi est Deus Spharvaim? Quod ait Rapsaces inter alia quibus Deum blasphemabat, clamans contra Jerusalem, Vbi est Deus Hemath & Arphad? ubi est Deus Spharvaim, Ana & Ava? Nongradum libet averunt Samariam de manu mea? Offendit hæc omnium civitatum five gentium diis servisse Samaritanas, & quod non erant dii, sed idola, merito cultores vanitatis, ut decebat, esse subverfas. Est autem Hemath urbs Cælesyria, quæ nunc Epiphania dicitur, juxta Amasiam, ut supra monuimus: Arphad ubi Damasci, quæ expugnata à Rege Assyriorum etiam Hierem. scribitur. Spharvaim, quæ numero plurali libros vel literas fortassis nomen est locorum, de quibus Assyrii translinguantes habitaverunt in Samaria, ut in Locorum libro invenimus. Verum in Esaia hoc quoque vocabulum esse civitatis apparet, ubi aperte dicitur: Vbi est Deus urbis Spharvaim? tamen pluraliter dictum, ut Thebarum, Athenarum, Ana & Ava, vetus editio quasi unius urbis nomen Amogava posuit, & quidem in Hebræo ita scriptum est: rum quia syllaba u, quæ in medio nominis posita est, conjunctionem & apud eos significat: potest etiam ita distingui, ut dicatur Ane & Gava, ut Aquila transtulit: Ana & Ava, ut noster veritè interpretes.

Vbi ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem? & c. Quod ait Ezechia regi propheta Esaias, Vbi ut ascendat umbra decem lineis, an revertatur totidem gradibus? Idem nomine gradum quod & linearum significat, id est distinctionem horarum, quas 12, per diem in horologio notare solemus: five, ut Hieronymus dicit, ita erent constructi gradus arte mechanica, ut per singulos numeros descerent horarum spatia terminaret. Erat autem hora diei octima, quando Regi Propheta loquebatur: Vbi ergo, inquit, ascendit umbra decem lineis, procedente sole supra terram per-

2. Par. 23.

2. Par. 12.

2. Par. 23.

XIX.

4. Reg. 11.

2. Par. 23.

XX.

4. Reg. 12.

XXI.

4. Reg. 14.

XXII.

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

XXX.

XXXI.

XXXII.

XXXIII.

XXXIV.

XXXV.

XXXVI.

XXXVII.

XXXVIII.

boreales plagas usque ad Orientem, quæ subtus terram quotidiana consuetudine sui cursus erat facturus: *An ut revertatur umbra totidem gradibus, converta retrorsum facie solis, ipsoque per australem plagam ad Orientem regresso?* At Rex, *Facile est, inquit, umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Vidit namque quod majoris miraculi esse poterat, si sol contrarium suo mori cursum ageret, quam si consueto processu incedens: tamen multo altius, id est supra terras elatus ad Orientem, quasi secundi diei manè nulla interveniente nocte, facturus advolaret. Nam & hoc in insula Thyle, quæ ultra Britanniam est, vel in ultimis Scytharum finibus degunt, omni æstate diebus aliquot fieri vident: quia sol cætero orbi in occasu & sub terra positus, ipsis nihilominus tota nocte supra terram apparet: & quomodo à parte Occidentis ad Orientem humiliter redeat, manifestè videatur, sicut & veterum historiæ, & nostri homines ævi, qui illis de partibus adveniunt, abundantissimè produnt. Nunquam autem hi qui interiora aulæ incolunt, vident solem per meridianas plagas ad Orientem ab occasu redire.

XXVI. 4. Reg. 22. 2. Par. 32. 2. Ph. I. *Que habitat in Hierusalem in secunda* ] Quod dicitur de Holda prophetissa: *Que habitat in Hierusalem in secunda*: quid significet, in libro Paralipomenon declaratur, ubi scriptum est de præfato Rege Ezechia: *Edificavit quoque, agens industriè, omnem mirum qui fuerat d'isipatus, & extraxit terras desuper, & formosus alterum murum.* Meminit hujus loci Sophonias dicens: *Vox clamoris à porta piscinum, & ululatus à secunda.* Pro quo vetus editio, quali proprium nomen loci translit, in Maëna. Maëna quippe interpretatur secunda. Quod ergo dicitur prophetissam habitasse in secunda, in secundi muri parte intellige.

XXVII. 4. Reg. 23. *Contaminavit quoque Thophet, quod est in convalle filii Ennon.* ] Quod dicitur de Iosia Rege, *Contaminavit quoque Thophet, quod est in convalle filii Ennon, ut nemo conse-raverit filium suum, aut filiam per ignem Moloch.* Frequens est in scripturis horum mentio locorum, maxime in libro Regum, & Hier. Propheta. Est autem vallis Ennon, sive filii Ennon, juxta murum Hierusalem, contra Orientem, in qua nemus pulcherrimum Siloe fontibus irrigatur. Thaphet autem, sive Thophet (utrumque enim scribitur) erat locus in eadem convalle, juxta piscinam scillonis, cujus meminit scriptura, & juxta agrum Acheldam, qui usque hodie demonstratur ad australem plagam montis Sion. Solebant autem in Thaphet, qui locus erat amenissimus, unde hodie usque hortorum præbet delicias, posita ara sacrificare demonibus, nefandoque igne suos consecrare liberos, sive holocaustum offerre, sicut in libro verborum dierum de Achaz rege scriptum est: *ipse est qui adolevit incensum in velle Benemon, & lustravit filios suos in igne.* Benennon siquidem filium Ennon significat. Vallis autem Ennon dicitur Hebraicè gehennon, cujus nomine in novo Testamento pena inferorum, gehenna cognominatur: quia nimirum sicut in convalle Ennon, qui idolis servierunt, in ea Prophetis attestantibus perierunt, ita peccatores ex his quæ peccaverunt, æterna damnatione punientur. Denique Hieremias cum refert præcepisse sibi Dominum, & dixisse, *Egredere ad valem filii Ennon, quæ est juxta introitum porte seditis*: paulò post dicitur, *& non vocabitur locus iste amplius Thophet, & vallis filii Ennon, sed vallis occisionis: & dispersabo consilium Iuda & Hierusalem in loco isto, & subvertam eos gladio.* Esaias quoque manifestissimè Thophet infernum appellat: qui cum perpetuum diaboli interitum sub nomine Allur describeret, dicens: *A voce enim Domini pavabit Assur virga percussus, & erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere sachie Dominus super eum*: statim quomodo & ubi esset periturus, subdit dicens: *Preparata est enim ab heri Thophet à Rege preparata, profunda & dilatata.* Pulchrè ait, *Et dilatata*: quia Thophet dicitur latitudo. *Nutrimenta*, inquit, *cujus ignis, & ligna multa*: status Domini sicut torrens sulphuris, succedens eam. Contaminavit autem Josias Thophet, vel olla mortuorum ibi, sicut in sequentibus de aliis idolorum locis fecisse legitur, vel alia quæ libet immunda dispergens, quatenus abominationi potius quam

delectationi aptus omnibus qui aspicerent locus appare-ret.

*Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda, &c.]* Quod sequitur de eodem Rege Josia, *abstulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda soli in introitu templi Domini.* & paulò post, *Curvus autem solis combusit igni*: ostendit omni generi idololatriæ & superstitionis Judæos omni tempore fuisse mancipatos: ita ut in venerationem solis, quem more gentium Deum esse credebant, simulacro ejus quod fecerant, curvus equosque subdiderint, & hoc in atris templi Domini. Sic enim solent gentiles pingere vel facere simulacrum Solis, ut puerum juvenem in curru ponentes, equos eidem quali cursu cælum potentes subjungant, Cui propterea pueri aptant imaginem, quia sol velut quotidie novo ornatu natus, nullum per secula senium incidit. Ut autem eidem curro & equos tribuant, de miraculo sumptum Helix Propheta, qui curru igneo & equis igneis est raptus ad cælum, Joan. Constantinopol. Episcopus attimat. Quod enim Græcè illos dicitur sol, sicut etiam Sedulius, cum de Helix ascensu caneret, ostendit, dicens:

*Quam vel fulminei pralucens semina calis, Convenit Helix, meritoque & nomine fulgent.*  
*Hac ope dignus erat: nam si sermone Achivi Vna per accensum mutatur litera, sol est.*

audientes Græci ab Israelitis, quos divinas habere literas fama prodebat, prædicari, quòd Helias curru igneo & equis sit igneis ad cælestia translatus, vel centè hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt, vicina decepti nominis, solis hic transitum per cælos esse delignant; & miraculum divinitus factum commutaverunt in argumentum erroris, humana stulticia commentum: quos imitati ipsi Judæi, fatagerunt ne in aliquo gentium stultissimis minus stulti parent.

*Excelsa quoque quæ erant in Hierusalem, ad dexteram partem montis, &c.]* Quod paulò post de eodem Rege dicitur: *Excelsa quoque quæ erant in Hierusalem, ad dextram partem montis offensionis, &c. usque, Polluit Rex, & contrivit statuas*: luce clarus est, quæ excelsa nominare solet scriptura, loca collibus posita frondentibus, in quibus vel demonibus immolabant, vel etiam Domino, locorum amenitate alleciti, contra interdictum relicto altari hostias offerebant. Unde sæpius in hoc libro de Regibus qui minus perfectè justi fuere, dicitur: *Veruntamen excelsa non abstulit.* Montem autem offensionis, montem idoli dicit: quia nimirum consuetudinis est scripturarum, offensionem idola nuncupare, quia vel in illis offenditur Deus, vel offensionem & ruinam suis adfert cultoribus, sicut in hac ipsa sententia subsequenti intimatur, dum dicitur: *Que edificaverat Salomon Rex in Israel Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensionis Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon.* Ubi hoc quoque, ni fallor, palam ostenditur, quod utinam non ostenderetur: quia videlicet Salomon de admixtæ idololatriæ scelere nunquam perfectè penituit. Nam si fructus poenitentia dignos faceret, fatageret ante omnia, ut idola quæ edificaverat, de civitate sancta tollerentur: & non in scandalum stultorum, quæ ipse, cum fuisset sapientissimus, erronea fecerat, quasi sapienter ac testè facta relinqueret. Meminit supra & hujus loci scriptum, dicens: *Tunc edificavit Salomon phanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Hierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon.* Nec videri contrarium debet, quod ibi mons, in quo facta sunt hæc idola contra Hierusalem, hic in Hierusalem esse positus asseritur: quia nimirum in tanta erat urbis vicinia positus, ut ad ipsam pertinere, & ipsam quoque foribus, quæ in eo congregabantur, attaminare videretur.

*Et transtulit omnem Hierusalem, & universos principes, &c.]* XXX. Quod referens de Nabuchodonosor, qui transtulerit omnem Hierusalem & universos principes, & omnes fortes exercitus, de- XXX. cem millia in captivitatem: addidit scriptura, dicens: *Et omnem arisificem & clusorem.* Hoc est quod supra eidem populo Israel Philistim regnantes fecisse narratur, cum dicitur: *Porro sabei ferrarius non inveniebatur in Hierusalem, & in omni terra Israhel. Caverant enim Philistim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Sicut enim tunc illi caverant,

XXXIX  
4. Reg.  
23.

XXXIX  
4. Reg.  
23.

3. Reg.  
11.

4. Reg.  
24.

1. Reg.  
13.





ne habentes fabros ferrarios Hebrai, arma ad repugnandum facerent: ita nunc Chaldaei Hierusalem vallata, & omni terra repromissionis, satagunt, ut nullus in ea remaneat artifex, nullus clusor, qui vel sedata urbis moenia componere, vel possit refarcire dirupta: quin potius quicquid apud gentem exterminatam artis invenerant, totam Babyloniam transferunt: ut vel ad nihilum valeat ultra, vel illius civitatis utilitatibus proficiat. Cujus tam defenda historia, quia multum negligentia nostri temporis congruit, non opinor allegoriam esse reticendam. Constat namque, quod Hierusalem & terra Israel civitatem Christi, id est Ecclesiam sanctam: Babylon autem & Chaldaei sive Philistei, civitatem diaboli, id est omne malignorum sive hominum seu Angelorum multitudinem designant: servitque Israel Philisteis sive Chaldeis, cum fideles quique nomine tenus in Ecclesia consistentes: ceterum ab immundis vel spiritibus vel hominibus decepti, ut avaritia, aut luxuria, aut alteri cuilibet peccato mentis colla submittunt. *Abducit autem Nabuchodonosor Israel, & universos Principes, fortisque exercitus de eum milia in captivitate, cum aut magistros populorum, & eos qui invincibili animo Domino servire, ac Decalogum legis fideliter in Dei ac proximi videbantur amore conservare, subito sive illecebris mundi, seu adversitatibus subacti, a majoribus se facinoribus pollunt: aut certe in haesim declinando, aperta apostasia notam incidunt. Arma vero, quibus contra diabolum repugnantes, libertatem a Deo nobis donatam defendamus, quae sunt alia, nisi eloquia scripturarum? In quibus & ipse Dominus, & sanctorum eius exemplis quo ordine bella vitiorum superari debeant, luce clarius discimus. Sed Philistei filios Israel fabris armorum privant, cum maligni spiritus animas fidelium a meditatione sacrae lectionis, secularia illic negotia inferendo retardant, ne vel ipsi per hujus exercitium resistendi fiduciam sumant, vel alios forte qui legere nesciunt, ad resistendum vitiis exhortando aut corripiendo accedant. Tollunt fabros armorum, cum eos qui sacra eloquia norunt, in tantum sceleribus obruant, ut dicere bona quae didicerant, profusus erubescant. Transferunt omnem artificem & clusorem in Babyloniam de Hierusalem, cum eos qui multifaria virtutum operatione pluribus prodesse, & civitatem Dei contra irruptiones tentationum munire solebant, a proposito deflectunt: atque ingenium quod tuitioni sanctae Ecclesiae impendere debebant, ad voluntatem potius Regis vitiorum dispensare compellunt. Quod si clusorem hoc loco non ostiorum sive murorum, sed auri potius gemmarumque intelligere voluerimus, ad unum profecto, eundemque spiritualis expositio finem respicit. Dicitur quippe est de sapientia, quia aurum est, & multitudo gemmarum: atque ideo clusores horum non alios aptius quam doctores intelligere valemus, qui quamdiu recte vivunt ac docent, in ornatum sanctae civitatis industriam suae artis impendunt. At si forte erraverint, quid nisi a gente Chaldaeorum captivi Babyloniam transferuntur? Et quoniam artificem & clusorem ab Hierosolymis Babyloniam transmigrare, hoc est talentum verbi caelitus acceptum in terram defodi, id est scientiam spiritalem ad peccatorum opera converti Obscuro lector, ut si quid tibi in his explanatiunculis gratum dixi, ad laudem donantis Dei referas. Sin autem alias, ita imperitiae vel praesumptioni meae veniam tribuas, ut ipse cum omnibus quibuscunque potes crebrae meditationi, continuae observationi, opportunae praedicationi divinarum insistas scripturarum: communique labore satagamus, ut nos negotiatores Dominicae pecuniae fideles, nos artifices & clusores spiritualium gemmarum sive mensorum, nos propugnatores sanctae civitatis, nos caelestium inveniamur fabri armorum: nobis reversus a nuptiis summus paterfamilias dicere dignetur: *Quia super pauca suscipi fideles, super multa vos construam, intrate in gaudium Domini vestri. Amen.**

Prov. 20

Matt. 25

In libros Regum, Questionum triginta libri finis.

# BEDÆ PRESBYTERI IN EZRAM ET NEHEMIAM Prophetas Allegorica expositio.

## P R A E F A T I O.



Ximius sacrae interpres ac doctor scripturae Hieronymus, cum libros ejusdem scripturae in Epistola ad amicum breviter percurreret, & quae in singulis continerentur, strictim contingeret: *Ezras, inquit, & Neemias, adiutor videlicet & consolator a Domino in uno volumine narratur, & inservant templum, muros extruunt civitatis: omnisque illa turba populi redeant in patriam, & descriptio sacerdotum, Levitarum Israel, profelytorum, ac per singulas familias murorum & turrium opera divisim, aliud in cortice praeserunt, aliud revent in medulla. Quapropter Reverendissime antistes Acca, tuis diligenter obsecundans hortamentis, considerando eisdem volumini operam dedi. Confidens vero adiutore & consolatore Domino ac salvatore nostro Jesu Christo, quia donet nobis propitius recto cortice litera, altius aliud & sacratius in medulla sensus spiritualis invenire: quod videlicet ipsum Dominum, ac templum & civitatem ejus, quae nos sumus, prophetis quidem figuris, sed manifesta ratione designet. In quo nimirum opere maximo nobis adjumento fuit praefatus Ecclesiae magister Hieronymus in explanatione Prophetarum: qui eadem quae Ezras & Neemias facta scribunt, ipsi sub figura Christi Ecclesiae fienda praedixerant.*

## LIBER PRIMUS.

Unctis legentibus liquet, domum sive templum Dei in scripturis sanctis, & unumquemque electorum, & omnem simul Ecclesiam, hoc est univertitatem iustorum solere appellari: pro eo quod in cordibus in se credentibus, ac sperantibus, seque diligentibus, Deus inhabitare dignetur, juxta hoc quod ipse ait: *Si quis diligite me, servitium meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad cor veniet, & mansionem apud eum faciet.* Unde & Apostolus: *Templum, inquit, Dei sanctum est, quod estis vos.* Et in Epistola ad Hebraeos: *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo, tanquam samuilus, in testimonium eorum quae dicenda erant: Christus vero tanquam filius in domo sua, quae domus sancta nos, si fiduciam & gloriam spei usque in finem firmam retineamus. In cuius figuram domus sive templi spiritualis, Salomon Rex fecit templum Domino in Hierusalem: nam Salomon ipse qui interpretatur pacificus, apte figuram tenuit ejus de quo canit Propheta: *Multiplicabitur ejus imperium, & pax non erit finis.* De quo & Apostolus Ecclesiae degenibus scribens: *Et veniens, inquit, evangelizavit pacem vobis qui longius fuistis, & pacem vobis qui propere quoniam per ipsum habemus suscipimus ambo in uno spiritu ad patrem.* Quod vero idem templum septem annis aedificavit, octo autem consummavit ac dedicavit, significat quod toto tempore seculi hujus, quod septem diebus circuit, Ecclesiam Dominus collecta ad aedificium caeleste fidelibus construit. Porro in vita futura, appatente gloria resurrectionis, ad integrum perficit, utque in gaudium vitae immortalis in aeterna sua claritate visione sustollit. Quia enim ipse octava die, hoc est post septimam sabbati resurrexit a mortuis, recte octonarium numero tempus etiam nostrae resurrectionis exprimitur. Quod autem a vo sequente quaedam templi aedificia praenimia vetustate dissolvi ceperunt, sed eadem mox in laetitia regum ac sacerdotum, qui illis tuere temporibus immanata & in pristinum suscitata sunt istarum: significat quaedam dianos fidelium ac levissimos erratus, de quibus Salomon: *Septies, inquit, cadit iustus, & resurgit, qui quotidiana eorum ipsorum solertia, donante Domino, per exempla vel exhortamenta praecedentium iustorum, quali per regum ac sacerdotum Dei corriguntur industria; reges namque ac sacerdotes merito omnes in Ecclesia perfecti vocantur, cum sint imbra regis ac sacerdotis summi, cum seipos bene regere, cum sua corpora Domino hostia vivent exhibere discerint.**

Quod